



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Præfatio Ad Lectorem Vbi Operis Institutvm, Ratio, ac methodus,
eximiaque vtilitas exhibentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)



PRÆFATIO AD LECTOREM

V B I

OPERIS INSTITVTVM, RATIO,
ac methodus, eximiaque vtilitas
exhibentur.



VO tibi, Lector benèuole, huiusce ope-
ris institutum, rationem, ac methodum,
eximiamque vtilitatem exponam, suppono
primo. Vniuersas scientias humanas ab
intellectu nostro pro statu præsentis acqui-
sibiles ad duas omnino reuocari, vt nemo
probè scientificus diffitebitur; ad Physi-
cam scilicet, & Metaphysicam. Physicam
dico, quæ considerat obiectum sibi pro-
positum quoad an est, seu quantum ad
esse quod habet in statu existentiæ. Meta-

physicam autem voco, quæ suum obiectum considerat quoad quid est, seu
quantum ad esse, quod habet in statu quiditatis. Vnde, obiectum prio-
ris omne ens existens actu, quæ tale, amplectitur. Obiectum autem poste-
rioris omne ens tam impossibile, quàm possibile comprehendit cum præ-
cisione ab existentia. Et prioris quidem principia ab experientia petuntur.
Posterioris verò à connexionem, quæ vnaquæque essentia de suo habet cum
suis passionibus immediatis, prout ex dicendis in decursu huius operis ma-
gis conspicuum fiet.

Suppono secundò. In omni scientia humana nihil æstimabilius esse vni-
uersalitate. Tum quia, quo obiecta sunt vniuersaliora, eò notiora nobis,
adeò citiora sunt. Tum quia, quò vniuersalior est veritas comparata per
scientiam, eò plures in se continet veritates; eoque plurimum subinde valo-
rem, æstimabilitatemque secum fert. Dixerim vniuersalissimas veritates
perinde ac nummos aureos, aut lapides preciosos se habere. Quorum vnum
qui possidet, sub modicissima quantitate, atque adeò expeditissima posses-
sione possidet ingentem acervum nummorum inferioris metalli. Ex quo
patet, quantum intersit studiosorum humanarum scientiarum, comparandis
vniuersalissimis veritatibus rerum, subindeque vniuersalissimis earum
conceptibus speculandis imprimis incumbere.

Suppono tertio: conceptus vniuersales circa quos, vt circa obiecta versantur scientiæ humanæ, obiectiuique conceptus propterea dicuntur, in duplici differentia esse. Alij enim sunt conceptus primæ intentionis; alij secundæ intentionis. Dicuntur conceptus primæ intentionis, qui rebus proueniunt aliunde, quàm ab actibus nostri intellectus, eisque conueniunt vt sunt in se. Quales sunt conceptus entis, conceptus animalis, conceptus rationalis, conceptus albi, & ceteri huiusmodi. Conceptus verò secundæ intentionis vocantur, qui rebus proueniunt ab actibus, quibus à nobis intelliguntur, atque adeò illis conueniunt, non vt sunt in se, sed vt obiectiue sunt in nostro intellectu. Quales sunt conceptus subiecti, conceptus prædicati, conceptus actus significabilis per verbum, conceptus formalitatis distincta ab alia per rationem, conceptus generis, & speciei, & ceteri huiusmodi. Esse quippe subiectum, prædicatum, actum, formalitatem, genus, speciem &c. demonstrationes sunt conuenientes rebus, prout obiectiue sunt in nostro intellectu, suamque proinde trahentes originem ab illius actibus. Porro inter conceptus vniuersales primæ intentionis pauci sunt vniuersalissimi, si cum iis conferantur, qui minùs sunt vniuersales: quia pauci sunt, qui conueniunt omnibus rebus. Conceptus verò secundæ intentionis ferè omnes sunt vniuersalissimi: quia nullus ferè est, qui rebus omnibus non conueniat, aut certe non possit conuenire, quatenus omnes res sub quouis eorum à nobis conceptibiles sunt. Vnde patet, quantum intersit studiosorum humanarum scientiarum hisce conceptibus secundæ intentionis perscrutandis incumbere, iuxta dicta suppositione secunda. Tum quia bona pars humanæ scientiæ circa illos, vt circa obiecta speculanda versatur. Tum maximè, quia ex non benè explorata, perspectaque eorum natura scèpissimè prouenit, vt circa conceptus primæ intentionis intellectus noster fallatur. Etenim, cum nos pro statu præsentis res cognoscamus, atque adeo illæ nobis appareant, siue represententur longè aliter, quàm sunt in se, nisi solerter, probèque sciamus discernere esse, quòd illæ prout sunt in mente nostra obiectiue, habent, ab esse, quòd habent in se se, obnoxij valde deceptioni incedemus. Itaque eximie confert ob duos titulos prædictos ad veritates Physicæ, & Metaphysicæ, omniumque subinde humanarum scientiarum perscrutandas, & assequendas prædictorum vniuersalissimorum conceptuum secundæ intentionis probè exploratam, perspectamque habere naturam cum suis passionibus. In idem autem recidit, exploratam, perspectamque habere naturam nostrarum intellectuum cum suis passionibus, cum modò intelligendi cuncta, quem pro præsentis statu habemus, naturamque subinde humanæ scientiæ sumptæ latissime (prout illam in hoc opere sumimus) & modi procedendi eius; ac exploratam, perspectamque habere naturam, passionisque dictorum conceptuum, utpote à nostris intellectibus, à nostroe modo intelligendi pro statu præsentis prouenientium, vt dictum est. Vnde tandem concluditur, ad veritates omnes tum physicas, tum metaphysicas omnium omnino scientiarum perscrutandas, & assequendas eximie conferre accuratam speculationem præmittere de natura nostrarum intellectuum, de modoque intelligendi nostro pro statu præsentis, de naturaque

naturaque subinde, de modoque procedendi scientiæ humanæ sum prælatissimè.

Suppono quartò, vt prorsus certum: Possibilem esse Artem vniuersalem sciendi, qua intellectus humanus ad omnes scientias breuius, faciliusque acquirendas, ac sine fine propagandas, methodicèque dirigendas mirum in modum adiuuetur. Si enim ceteræ facultates humanæ, longè imperfectiores cum sint, in suis operationibus exercendis, in suisque operibus exequendis tam mirificè artibus adiuuantur, adeò, vt sine arte, quæ per artem sunt, plerumque ab illis non possent effici, vt in iis cernimus, qui in artibus liberalibus periti sunt nimirum in Musica, Pictura, Statuaria, Statica, Bellica, Architectura, Perspectiua, & aliis: imò, & in iis, qui in illiberalibus, vt Textoria, Sutoria, Sartoria, Fullonica, Lignaria, Ferraria, Plastica, Lapidaria, & ceteris. Quis dubitet, intellectum humanum omnium nostrarum facultatum perfectissimam, arte pariter in suis operationibus exercendis, operibusque exequendis adeò iuuari posse, vt non solum facilius, breuiusque per artem, quàm sine illa, quidlibet assequatur, sed etiam multa per artem præstare valeat, quæ simpliciter, & absolute seclusa arte, non valeret? Ob id scientiarum studiosi, præsertim antiquiores in Arte legitima sciendi vestiganda solerter incubuerunt. Eamque nonnullos tenuisse, dissimulasse tamen, & occultasse, vt sua opera, inuentaque miribilia essent, in ipsis eorum operibus indicium est. Alios varias sciendi artes adinuenisse, & in lucem prodidisse, constat ex sexto Empirico, qui per libros sex contra Mathematicos, & tres hypotheson Pyrrhoneorum ipsas confutat. Plato Anatyticam adinuenit, tantique Dialecticam fecit, vt in dialogo. 7. de Repub. siue de Iusto dicat, sine illa cæcas esse omnes scientias. Postea Aristoteles suam edidit Logicam, quam omnes Peripatetici tanquam genuinam sciendi artem sunt amplexati. Iam verò prope nostra sæcula Raymundus Lullius suam illam Artem mirabilem euulgauit, in praximque deduxit eximio, mirandoque studiosorum eius emolumento, vt eius interpretes testantur. Quam eandem aliter tamen expositam, auctamque produxit postmodum Petrus Gregorius Tolosanus in eo libello, cuius titulus *Syntaxes Artis mirabilis*, adiectis dein longioribus commentariis, vbi multa profert in huius Artis commendationem: & nominatim lib. 1. cap. 7. præter eius commentatores plures recenset, qui per hanc Artem breui doctissimi euaserunt. Additque, antiquos Hebræos Artem similem inuenticem rationum, imò naturarum excogitasse præstantiorem illa, quam concludunt Cabalisticæ per quinquaginta portas lucis quas iterum examinant per tringinta duas semitas sapientiæ, & tres midoth: id est, tres proprietates, siue potentias, nempe Memoriam, Intelligentiam, & Voluntatem. Eiusdem Lullianæ Artis quædam semina sunt, quæ iaciunt Ægidius Moncurius in suo *Typo omnium scientiarum*, & nouissimè Yuo Parisinus in suo *Digesto sapientiæ*. Tamen hic ex ipsis Lullianis terminis apertiori via putat se artem adinuenisse omnes humanas scientias in vnâ quamdam vniuersalem nectendi, in qua omnium prima principia coniuncta reperiuntur. Præterea Cornelius Gemma medicus Louaniensis de Arte Cyclognomica scripsit libros tres, quibus se putat doctrinâ ordinum vniuersâ, vnaque Philosophiam Hippocratis, Platonis, Galeni, & Aristotelis circulari quadam methodo comprehendisse, ceterisque artibus, ac scientiis inueniendis, atque constituendis viam compendiarîam patefecisse. Denique, Fran-

ciscus de Verulamio Anglus in opere, cuius titulus. *Instauratio magna*, præfertim in secunda eius parte dicta, *Organum nouum*, multa de vniuersali sciendi methodo scripsit, seu potius scribere cepit. Opus enim delineatum, & inchoatum dumtaxat reliquisse videtur. Omitto Rhetoricam Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani, & aliorum, quæ non eloquendi solùm, sed sciendi ad eloquendum Artes quædam sunt. Concludoque ex dictis, vniuersalem Artem sciendi non solùm inuentu possibilem, verum etiam aut plenè, aut maiori saltem ex parte iam inuentam, traditamque ab Auctoribus tum antiquioribus, tum etiam recentioribus esse.

Suppono quintò Encyclopædiam apud Antiquos celebratissimam (quæ latinè scientia orbicularis, seu circularis dici potest) non in aggregatò omnium scientiarum, vt aliqui putant, sed in speciali quadam scientia consistere ob summam suam vniuersalitatē omnes omnino scientias humanas atque adeò & se ipsam suo ambitu complectente: ea autem est scientia de scientia, de scibilibusque in vniuersum, id est, scientia habens pro obiecto scientiam humanam in toto hoc opere latissimè pro omni notitia, pro omnive aggregatò notitiarum (humanitus acquisibili.) Porro huiusmodi Encyclopædia duas partes habet. Alteram theoricam, quæ de natura, passionibusque scientiæ humanæ, obiectique humanitùs cognoscibilis, atque adeo scibilis prout talis agit: alteram practicam, quæ instrumenta præbet, regulasque sciendi in omni materia, atque adeò omnem omnino humanam scientiam nouis in dies notitiis partis, ac veritatibus inuentis, in infinitum propagandi, methodicèque digerendi. Et hæc est Ars vniuersalis, legitimaque sciendi, complectens quidem Logicam integram, quæ ars intelligendi perfectiua intellectus est: addens tamen insuper Artem memorandi perfectiuam Memoriam, & Artem imaginandi perfectiuam Phantasiam, & Artem experiendi perfectiuam externorum sensuum. Dixi *logicam integram*: quia, quam ex Aristotele habemus, nondum integra est.

Igitur, huiusmodi Encyclopædiam, seu scientiam de scientia, & scibili in vniuersum quoad vtramque eius partem tradere operæ, operisque præsentis intentio est. Cuius utilitas quantà sit ad omnes scientias comparandas (si tamen intentioni effectus, vt Deo dante, spero, respondeat) ex dictis hactenus palam est. Prima enim eius pars theorica ob summam suā vniuersalitatē non potest non eximiam lucem omnibus humanis scientiis præbere, iuxta suppositionem secundam, & tertiam. Secunda autem pars practica, cum sit Ars legitima sciendi, atque adeò facultates hominum præstantissimas in suis operationibus iuuandi, dirigendique, prout demonstrabitur ex prima, nequit non in exercentibus ipsam perinde, atque ceteras Artes; imò præstantius longè quàm illæ, mirandos effectus procreare. Dico autem eam Pharum Scientiarum, quòd nauigantibus scientiarum pelagus perspicuam sanè, directiuamque lucem præfert.

In ista autem scientia tradenda eadem methodo, quam ipsa pro cæteris omnibus tradendis suo loco præscribet conabor vti. Atque ita illā imprimis suis Tractatibus distinctam, Tractatus suis Disputationibus, Disputationesque suis Quæstionibus dabo. Primus Tractatus de origine, & natura intellectiōis humanæ erit: vbi humanorum sensuum tam externorum, quàm internorum Philosophia succinctè præmissa, quomodo ex illis ipsa intellectiō humana sumat exordium, explicabo, naturamque dein ipsius intellectiōis, & specierum eius, quatenus operis institutum poscit, exponam. Secundus

Tractatus

Tractatus erit de passionibus intellectus humanæ, vbi de Veritate, & Falsitate, de Evidentia, & Obscuritate, de Certitudine, & Incertitudine, aliisque huiusmodi veluti affectionibus eius mihi erit sermo. Tertius, & ceteris productior Tractatus erit de obiecto intellectus humanæ, quatenus tali, quod materia eius, circa quam nuncupari solet: vbi aliquot disputationes ex ea parte Metaphysicæ vniuersaliore quam Primam Philosophiam dicunt, petitas inferere necesse erit, vt de actu, & potentia, de ente, essentia, & existentia, de statibus rerum, de ente possibili, & impossibili, necessario, & contingente de distinctione, & identitate, de vnitæ, & pluralitate, de connexionē, & oppositionē, &c. Doctrina quippe harum disputationum, tū ad ea, quæ de obiecto scibili in vniuersum tradenda sunt, tum ad multa huius operis stabilienda certa principia omnino necessaria est. Et quoniam (vt sum iam dudum persuasus) si Metaphysici ex evidentibus principiis, quæ dictarum, aliarumque huiusmodi disputationum materiā ob suam vniuersalitatem suppeditant, demonstratiuè discurrissent, vt fecerunt Geometra, & Arithmetici, bonam partem demonstratiuæ Metaphysicæ iam texuissent. Quò multas propositiones metaphysicas, quæ modò latent, iam demonstratas, apud omnesque subinde firmas, stablesque haberemus, eximio profectò emolumento pene omnium aliarum scientiarum, quæ vniuersaliori Metaphysicæ subalternantur, vti innumeras habemus geometricas, & arithmeticas pro ceteris mathematicis disciplinis Geometriæ & Arithmeticæ subalternatis. Idcirco ego, vt initium faciam, & aliis (quo vltius progrediantur) normam demonstrandi ex principiis metaphysicis præbeam, postquam in singulis prædictis disputationibus metaphysicis, facta terminorum ad eas spectantium diuisione, eorum idoneas explicationes, siue definitiones præmiserim, quæstionem vnicam adiiciam exhibentem propositiones aliquot euidentes, tum per se notas, tum demonstratas ex terminis iam explicatis disputationis tunc præsentis, atque etiam præcedentium inter se collatis compositas. Id, quod etiam prosequar pariter in opere de Deo vno, quod iam cœpi prælo disponere. Iam præsentis quartus Tractatus de terminis, propositionibus, ratiocinationibusque, siue argumentationibus vniuersalissimè sumptis, quæ veluti materia sunt, ex qua omnis humana scientia coalescit, aget. In quinto Tractatu de scientia, & scibili in vniuersum, deque eius proprietatibus, & speciebus, atque adeò de varietate scientiarum agendum est. Sextus denique Tractatus ipsam vniuersalem Artem sciendi cum suis instrumentis, & regulis practicis exhibebit, quo totum opus concludetur.

Quod quidem ita ordinare satagam, vt propositiones demonstratæ principia, & alias propositiones, ex quibus demonstrantur, semper supponant, prout scientiæ demonstratiuæ iura deposcunt. Quinimò in ceteris quæstionibus de materia probabili semper quantum fieri possit curabo, vt propositiones ex iam præcognitis probentur: id enim methodus scientifica semper efflagitat, vt opus ipsum patefaciat suo loco. Quando autem ex doctrina postea tradenda præsentis propositionis probationem aliquam petere necesse fuerit, vti solet contingere, succinctè, quantum commodè possit, talis doctrina præponetur, eius explicatione, probationeque remissa in suum locum, vt semper, quoad eius fieri possit, ex præcognitis procedatur. In casibus verò vbi notitia aliqua indigeam aliarum materialium, quæ, vel ad opus istud non spectant, vel eiusmodi sunt, vt de eis in illo ex professo fusè, &

per otium non oporteat tractare, quasdam de eis faciam, ac præmittam hypothesen, quibus breuiter, & summarie notitia earundem desiderata, quantum sat fuerit, præbeatur, citatis interim locis Auctorum, ubi ex professo, & fusiùs præbetur. Hoc enim pacto etiam in suis scientiis demonstratiuis solent Mathematici propositiones quasdam ex aliena materia tractas, quas lemmata vocant, ad demonstrandas proprietates materiæ, de qua agunt, inferere.

Conabor demum integrum opus omnibus legibus scientificæ methodi in eo tradendæ, quantum res tulerit, conformare. Ne autem augendo numerum librorum, aut parum, aut nihil scientiam augeam, ut fieri solet, cum tamen scientia suapte natura sine fine possit augeri, ut planè constabit ex dicendis in hoc opere ipso: perstrictis, qua breuitate possim, quæcumque in probatis Auctoribus idoneè iam scripta circumferuntur, in aliis diutius insistam, quæ, vel nouiora sint, vel aliquam illis lucem adferre possint. Arbitror enim nihil esse aliud excusa iam, stylo dumtaxat mutato, iterum, atque iterum typis excudere, quam laborem, sumptumque tum excudentium, tum legentium iterum, atque iterum absque ullo operæ pretio multiplicare. Certè, non parum studentium vtilitati consuleretur, si nullus iam liber permitteretur excudi, qui non maiori ex parte accrementum potius doctrinæ in aliis libris iam impressæ, quam repetitionem induceret. Verum enim verò, huic studentium, scribentiumque fastidioso grauamini, ipsorumque inuiti laboris, temporis, vitæque dispendio repetendi toties eadem in libris, qui typis mandantur, aliqualem ego fortasse hoc ipso in opere medelam offero, dum Artem mirabilem adinueniendi veritatem in scientiis humanis, easque in dies promouendi, & in infinitum augendi tractabilem, apertam, à mysteriorumque inuolucris exolutam in lucem publicam produco. Ea quippe litterarum studiosi adiuti, dum in quærendi noui, quæ sciant, distinebuntur, à repetendis inutiliter, quæ iam sunt scita, forsan vacabunt. O utinam votis succedat effectus ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, Vnigenitique Filij eius, & Virginis Matris. Vale.

Licencia del Señor Cardenal de Toledo.

DON Balthazar de Moscoso y Sandoval, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apostolica, Cardenal de la Santa Yglesia de Roma, del Titulo de Santa Cruz en Ierusalem, Arçobispo de Toledo, Primado de las Españas, Chanciller mayor de Castilla del Consejo de Estado de su Magestad, &c. Por la presente damos Licencia para que se pueda Imprimir vn Libro Intitulado, *Pharus Scientiarum*, que ha escrito el muy Reuerendo Padre Sebastiano Izquierdo de la Compania de Iesus, Cathedratico, que fue de Theologia en su Colegio de Alcala, y Calificador del Consejo supremo de la Santa Inquisition. Por quanto por Comission nuestra le ha visto y aprobado el Doctor Don Francisco de Arando y Mazuelo Canonigo Magistral de nuestra Santa Yglesia, y segun su Censura, en el no hay cosa que se oponga a nuestra Santa Fe Catholica, y piadosa doctrina; sino mucha erudicion provechosa para la perfecta inteligencia de todas sciencias sagradas y profanas. Dada en Toledo a dos de Mayo de mil y seis cientos y cinquenta y ocho años.

EL CARDENAL SANDOVAL,
Por mandado del Cardenal mi Señor.
IVAN ISIDIO PACHECO.

LICENTIA PROVINCIALIS.

LEO FRANCISCUS de Cepeda Prouincialis Societatis Iesu, in Prouincia Toletana potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Goſwino Nickel Præposito Generali facultatem facio, ut Liber inscriptus, *Pharus Scientiarum*, à Patre Sebastiano Izquierdo, nostre Societatis Theologo compositus, & eiusdem Societatis grauium, doctoremque hominum iudicio approbatus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Toleti in Collegio nostro S. Eugenij die trigesimo Ianuarij, anni millesimi sexcentefimi quinquagesimi septimi.

FRANCISCUS DE CEPEDA.